

dit, nullum ens existere incipit quod ante non extiterit; ac proinde ens simplex ex composito oriri non potest. Similiter ex ente simplici ens simplex oriri nequit; etenim ens simplex caret partibus ideoque est indivisibile, ac proinde nihil ab eo separari potest, quod extra ipsum existere possit. Cum igitur ens simplex neque ex alio ente composito oriri possit, neque etiam ex ente simplici, ens simplex vel est necessarium & existentiae suae rationem habet in se ipso, vel est contingens, & eam habet in ente necessario. Pari ratione evidens est entia simplicia contingentia produci ex nihilo; etenim ortum haberent vel ex ente simplici vel ex ente composito, utrumque autem falsum esse demonstravimus; saperest ergo ut producantur ex nihilo.

VI. *Ortus instantaneus* est qui non fit in tempore, *instans* vero dicitur quod præteriti, præsentis & futuri expers; nimirum partes temporis dividuntur in præteritas, præsentes & futuras. Quemadmodum itaque punctum mathematicum in alia minora puncta dividi non potest, ipsamque linéam non constituit sed terminat, similiter instans in alia *tempuscula* dividi nequit, neque temporis partem constituit, sed terminum denotat a quo tempus incipit, & in quo desinit. Hac posita definitione, evidens est ortum entis simplicis esse *instantaneum*. Etenim ens simplex omni prorsus parte caret, ac proinde in ortu entis simplicis distinguere non licet plura, quæ sibi invicem succedant; sed dum exi-